Deo optimo, maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

# QVÆSTIO MEDICA

## Quodlibetarijs disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis 10. Februarij

M. MATTHÆO THVILLIER, Doctore Medico, Præside.

*An incipiente Parotide sanguis è proxima iuguli vena mittendus.*

I.

QVidquid in morbis recte fit, & apparet ad salutem, id, nisi cæco interveniat casu, artis aut naturæ beneficium est. Casus rara felicitas; arti sæpe non respondet, artificem sæpius fallit euentus. Æquabilior & minus dubia, sed non omnino certa, nec semper prospera naturæ molitio. Opus inceptum aliquando non perficit, nec partes adimplet suas: quinetiam intempestivo conatu noxam sibi quandoque conflat & ruinam. Hinc Criseωn (quæ subiti sunt illius in ægris motus) non eadem parque bonitas, nec una differentia. Morbum alia penitus solvit, aut extenuat; auget alia, vel cum morte commutat. Omnes excretione fiunt, vel abscessu; morbis acutis excretio; longis familiarior abscessus. In hoc perfectam crisim quærere, miserabilis est rerum ignoratio. Naturæ votis nullus uspiam facit satis, ne laudabilis quidem, ejus debilitatem, aut excrementorum contumaciam, aut viarum impedimenta testatur, ipsiusque morbi materiam aliò tantùm transfert, ac prioris saltem est mali in aliam speciem partemque transitus & conversio. Sed ut omnibus alijs in rebus, sic in abscessibus difficilis & ardua est optimi perfectio; eorum quibus absoluitur, raro non aliquid deest; hic temporis, ille humoris vitio infamis; quidam angustioribus coercetur spatijs, morboque impar ejus focum funditus non exhaurit; alius principi membro vicinior, excursus, recursusue injicit metum, & nisi maturè provideatur, sæpe est ad interitum fatalis.

II.

VArijs nominibus male is audit, quem ductâ ab obsessis partibus appellatione Parotidem vocant. Nec te fallat exterior illius situs, nec glandularum quibus peculiariter insidet, vilior conditio. Plerisque abscessibus internis pravitate non cedit; nullus ferme cerebro insidiatur magis, ac superfluos humores quâ viarum opportunitate pars illa princeps expellit in subjectas glandulas, eâdem hæ acceptam injuriam quasi ulturæ, sæpe in cerebrum repellunt. Diffusâ etiam mox in laryngem, mox in thoracem materiâ intercludit animæ vias. In morbis diuturnis sub finem ut plurimum emergit, inter initia erumpit in acutis. In his irritatæ præcox & temeraria; in illis oppressæ naturæ languidior atque imbellis fere contentio; in alijs crassæ & pervicacis materiæ; in alijs internæ malignitatis inauspicatum germen; in omnibus periculum ni augeat, præsens certe aperit, aut futurum minatur. Cometæ instar, impune nunquam, vel sine formidine cerni solet. Parva parotis, prava, nec conferre; major horrenda, nec ferri potest. Quos vel lethargus, vel paraplexia, vel graveolentis ilei calamitas, fætidarumve dejectionum multa varietas cum acuta febre & hypochondrij tensione conjuncta, vel graviores pulmonis affectus conflictant, per Ἐμπύησιν frequentissime occidit. Si quibus vero criticâ motione assurgat, quæ spes ex secretione tantuli humoris? Sed & cùm morbum, successu admodum raro, removet, quanti hæc solutio miseris ægrotantibus constat? ipso morbo sæpe intolerabilior est, quandoque etiam perniciosior: cum dolore attollitur & increscit, vix digeritur in halitum, ægre concoquitur & suppurat. Suppuratæ interdum succedunt ulcera δυσεπούλωτα, ossium caries, importunæ fistulæ, aut fædæ cicatrices. Incocta in diarrhææ, petirrhææ, ptyelysmi, vel hæmorrhagiæ desiderio, aliàs induratur in scirrhum, aut desinit in ulcus mali moris; alias formidoloso erysipelate faciem infestat atque urit; sæpius intro refusa & ἀκρίτως residens, delirium, convulsionem, apoplexiam inducit; ut quemcumque in morbum cadat Parotis, hæc illi plerumque quasi cumulus accedat: vel si melioribus oriatur auspiciis, quod usu non adeo venit, imperfecta saltem & laboriosa sit crisis; utrovis in casu, sua ei quamprimum adhibenda curatio.

III.

TEmpus & oleum perdit, qui totus est in emollientibus remedijs: levioris sunt ea momenti & tardioris effectus; partem etiamsi remittant, & aliquanto explicatiorem reddant, ejus tamen angustias nunquam ita expandunt, ut humor morbi parens in illis totus commode reponi queat. Quin & oleis & cataplasmatis, aliisque id genus quà mollientibus, quà trahentibus evocatus, si se illuc copiosior intrudat, quanta ex illius influxu distentio, quæ vis & atrocitas doloris? Cucurbitularum suspectus & anceps usus, nisi igne & ferro securitatem præstes. Sed durum & crudele subsidium quantum periculi detrahit, tantum adjicit molestiæ & laboris. Purgantium quæ opportunitas esse potest? an cum fatale illud portentū & mortis famosus præco symptomaticè & morbi imperio ad aures adstat? Sed qui tunc purgat, præcipuas artis infringit leges, frustra irritat & lacessit, corpus inflammat, humores fundit, eorumque impetum revocat ad principes & internas partes, ac temeritatem nisi fortuna adjuvet, sera plerumque excipit pœnitentia. An potior purgandi occasio, ubi criticum in modum, & cocto utcumque morbo natura Parotidem fundit? at quò illa vergit, consimili studio enitendum, eidem viæ & evacuationi insistendum. Præterea si leve medicamentum sit, quamvis ptimam corporis regionem ceu mollioribus everrat scopis, antecedentem Parotidis causam, altiori sæpissimè conclusam loco, non attingit, nedum conjunctam. Si contrà valentius, è parte affectâ nihil prius trahit, quàm resorptum sit à vasis, totique deinceps sanguini temixtum, cui propterea labem suam aspergit, & è quo postea emulgeri haud facile potest: febris interim & symptomatum violentia redintegratur, & criseωs, qualiscumque sit, fructus perit. Emeticorum eo periculosior quam catharticorum abusus, quo stomachum concutiunt vehementius, vim cerebro majorem inferunt, atque, cum illud, tum glandulas auribus circumfusas novo potius gravant onere, quam antiquo levent.

IIII.

HIs vitiis atque opprobriis vacat, quæ nascente Parotide fit sanguinis missio, nec lenta, nec acerba, nec plena periculi, maxime cum affines & conterminæ venæ referantur; Hîc enim, si uspiam, habendus est illarum secandarum delectus. Quæ ad malleolos excurrunt, auxilij sunt & segnioris & imbecilli. Propinquiori gaudent situ quæ tundi in brachiis consuevere, sed necdum satis, nec unquam nisi crebrâ & sæpius repetitâ sectione, ac magnâ sanguinis viriumque jacturâ rumentes abscessu partes complanant. Ranularum ut major cum Parotide vicinitas, ita & utilior divisio, nisi illarum exilitas obstaret. Omnium maxime amplitudine & propinquitate commendantur, quæ collum extrinsecus hinc inde perreptant. Earum hoc sæculo quamquam ad plerosque cerebri affectus non infrequens esse incipiat in hominibus incisio, nulli tamen quàm Parotidi accommodatior. Quos illæ findantur in surculos, quò hi pertineant, cuique sint usui, diligentius attende. Cutem inter & membranam, quam carnosam appellant, ad fauces per cervicis latera exporrectæ in duos dirimuntur ramos, qui numerosâ deinde sobole, intro quidem in laryngis, ossis hyoidis, & linguæ musculos, foras verò in omnem fere faciem auriumque posticas glandulas & partes distriburi quasi dissipantur. Ex istis totidem ceu rivulis uterque externarum jugularium major alveus sanguinem excipit, quem si non cordi tantùm ex naturæ lege continuo transmittat, sed extra quoque per acceptum scalpello vulnus affatim effundat, alius è vestigio è minoribus, multo, quam antea, profusior & incitatior vacuum in locum influat necesse est. In hac sanguinis elutriatione & necessario sanguinis è tenuioribus & capillaribus venulis in grandiorem externarum jugularium truncum confluxu, ipsæ etiam extremæ omnium propagines, ut suæ succurrant penuriæ, & vecturæ non desint, aliæ ex interni jugularium venarum trunci surculis, quibuscum communicant, sanguinem quasi rapiunt & quâdam continuatione, deoneratis prius cerebri sinubus & vasis, quod in tumoris augmentum illabitur illapsurumque est, avertunt: aliæ quod aurium glandulis, è quibus emergunt, impactum jam hæret, proxime hauriunt & in sese corrivant, idque exin ampliorem in canalem cruoris commeatu una omnes transfundunt, viâ demum obviâ & perbrevi foras effluxurum.

V.

HOcce præsidio præsentius & facilius nullum, præsto est & in manu, uno stat ictu, quem quivis in re chirurgicâ tyro & rudis aptè infligat. Fetienda vena ampla est, & cute vix tecta, appresso tantum digito, vel circumducto molliter linteo sic intumescit, ut alibi nulla secetur expeditius, ne in brachio quidem, nulla secutius, cum illi nec nervus aut tendo, nec arteria subjiciantur vel adjaceant quæ scalpelli acie violari possint, ipse que etiam sanguis, mutato duntaxat colli situ interdum, emplastro adstringente semper, supprimatur. Male consulit ægrotantium rebus qui spe vel criseωs, vel puris, id artis & operæ compendium prætermittit. Rara est narium hæmorrhagia, nec à natura cietur unquam sine discrimine; in illo sanguinis impetu, oppresso nonnunquam cerebro, successionem affert gravioris mali. Rarior ex tussicularum crebritate ptyelysmus, & uni forsan Hippocrati semel aut iterum observatus: pulmoni imminet, ac tumorem è crassiori materiâ sæpenumero consistentem licet emolliat, vix tamen omnino tollit & exæquat. Vrinæ & alvi profluvia nec semper tentat natura, nec, si tentet, felici evacuatione semper absolvit, tot tamque implicatos viarum meandros & anfractus superare prius debet, tot intermedias in partes incurrit defluens humor, ut quò ab illâ impellitur, aliquando non appellat. Suppurationem præterquam quod nonnunquam respuit parotidis indoles, plurium illa dierum opus est & longioris moræ, multum negotij medico, plurimum laboris ægrotanti facit, febrem vel exsuscitat vel exasperat. Nulla quoque suppuranti fides, si pus reddat biliosum, inæquale, graveolens, amurcæ simile. Adde quod etiamsi ἀνοδμία, lævitate, exquisito candore blandiatur, nondum tamen omnis est exempta suspicio, nisi universitatis excrementa suo etiam pepasmo fruantur. Sed ejuscemodi naturæ motus & crises incipiente Parotide ne expectes. Multa ante ferenda sunt ad morbi usque statum & humorum coctionem; temporis & naturæ partus est crisis, nec ulla perfecta extra coctionem & legitimos dies. Ecquis porro an & coctio & crisis tandem affuturæ sint, ipsa inter initia parotidis certo sciat? Subsidente ante diem tumore utramque sæpe mors antevertit. Quin & hâc cunctante nihil interdum natura præter ferias agit: quas si medicus adeo dubiâ & incertâ expectatione pendens pariter agat, tot inter moras effluet rei certius ac tutius gerendæ occasio. Anticipet itaque coctionis & criseωs tempus, vicinam colli venam confestim aperiat: crisim, si futura est, hac arte vel juvabit, vel ante occupatam minori perturbatione faciet solus: Si nunquam futura, eam certa & nunquam præmatura sanguinis extractione supplebit, inflammatarum partium æstum illico extinguet, tensionem relaxabit, augescentem molem deprimet, molestias cum parotidis ortu, incremento & supputatione conjunctas prævertet, cruditatis & palindromes consecutionibus occurret, verbo dicam, Abscessum qui ob glandularum angustias ὑπέῤῥοπος est & inferior morbo, huic parem & ἀντίῤῥοπον redder: vel, quod longe præstabilius fuerit, materiam illi omnino nullam relinquet.

*Ergo incipiente Parotide sanguis è proxima iuguli vena mittendus.*

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI

*M. Guido Crescentius Fagon familiæ Reginæ Medicus.*
*M. Iacobus de Bourges.*
*M. Petrus Legier.*
*M. Franciscus Sorand.*
*M. Nicolaus Rainssant.*
*M. Petrus Pourret.*
*M. Bertinus Dieuxivoie.*
*M. Stephanus Bachot Scholarum Professor.*
*M. Ioannes Baptista Moreau Professor Regius.*

Proponebat Parisiis LVDOVICVS LABBE' Claromontanus Bellovacensis. A. R. S. H. M. DC. LXXVIII.